

*Bibliothèque numérique*

medic@

Imbert, Jean Henri - candidat /  
Gaillard, Jean - président. - An  
variolis malè erumpentibus venae  
sectio ?

1711.

*Paris : Apud Viduam Francisci  
Muguet, Regis & Facultatis  
Medicinae Typog.  
Cote : ms 2325 n°63*

301

63



QUÆSTIO MEDICA,  
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS  
MANE DISCUTIENDA  
IN SCHOLIS MEDICORUM,  
Die Jovis 12. Novembris 1711.  
M. JOANNE GAILLARD,  
DOCTORE MEDICO,  
P R A E S I D E.

*An variolis malè erumpentibus venæ sectio ?*

I.

**S**OLIDORUM cum fluidis æquilibrium, perfecta sanitas. Hujus alteratio, morbus. Sanitatem fermentationis opus ne putaveris? Veterum nunc deridentur facultates: Quid ni, & nostram fermentationem, idem quondam manet cachinnus. Hinc præjudicatae opiniones procul à medecinâ. Variolas cognoscere tibi animus est? Naturam consule, docilem non fallit sui scrutatorem, variolæ fuerint veteribus cognitæ, scrupulosus ne nimium allabores. Omnis ævi sunt affectus, certis regionibus alii familiares, alii insolentes. Variolarum species queris? infinitas propè numerâ. ratione temporis, regulares & irregulares, loci, sporadicæ & epidemicæ, moris, benignæ & malignæ, pustularum, distinctæ & confluentes: Essentia morbi in omnibus apud te sit eadem. Simptomata in distinctis mitiora, in confluentibus graviora interim Judices. de accidentibus interrogas? lumborum dolor febri adjungitur, corpus inquietum, & æstuofum humore difflit, dolent fauces & pectus, respiratio hæret in medio, tussis minax pulmonem convellit, stomachus nauseabundus aqueo biliosa egerit, corruscant oculi,

0 1 2 3 4 5 (cm)

2

scintillat flammeo colore saturata cutis, mentis aberrationes & terriculamenta ægrotantem urgent, naturam variolarum eruptionem meditari audacter pronuntia. maculæ primum lœves & rubræ è rotundâ basi in acumen molliter acclives desinunt; flavæ prius, demum aridæ resolvuntur, & contabescunt, naturam viðtricem clames. secus secretionem natura parans, gemit sub pondere morbi, vivifici liquoris nimiam dissolutionem, aut coagulationem suspiceris. tunc quo te vertas consule, illudque medicamenti genus eligas, quod satiscenti naturæ opituletur.

## I I.

**C**HYLUS & sanguis nec acido, nec acri sapore graves, corpus humanum sanitate beant. Hinc dulce & amicum solidorum in fluida imperium. Quæ dum fœdere junguntur stabili, machinæ fabricam servant incolumem. sanguis alterutro sale saturatus, solidarum partium vim eludendo, secum morborum originem invehit. Unde causa variolarum proxima. remotam si quæris? Ad res non naturales attende; ab ipsis fluidorum perversa indoles. sic in variolis particulis fœtus heterogeneis qui peccat aér, purus, salubrisque suâ recreat nos præsentia. ab illius mutata constitutione morbi epidemici. à variâ cum nostris corporibus proportione, morbi peculiares. quid ergo mireris? si variolis infantes frequentiū, ætate maturos minus, senes ferè nusquam obnoxios videas. ultrâ mittas querere. Icarus pennis non homini datis aëra petiit, in mare præceps labitur. à diverso igitur aëris cum nostris corporibus respectu, morborum varietatem tuto repetas. hinc in affectionibus Medicus sèpè luditur. alios proficuâ medendi methodo curatos videt, alios eadem, funere mersos stupet. rerum non naturalium in corpus humanum tanta potestas! exemplum habes præ manibus grave. in variolis hoc. ce tempore grassantibus sanguis suis interdum facilè purgatur sordibus, ab imminutis accidentibus recreata: functiones latam prænuntiant viðtoriam, abscessus sua non ægrè decurrunt tempora. Interdum nulla fermenti morbifici separatio, particulæ malignæ indolis, nunc segniter erumpentes, nunc variis ludentes figuris, lethalia secum important symptomata. in his auxiliares naturæ manus præbere cupis; humoris inquinati secretionem leniter promove.

## I I I.

**F**UNCTIONUM corporis humani præcipua, secretio. hâc fluida quod alendo corpori ineptum est, secernunt; sic sanitas viget integræ, sic morbus expellitur, secretionis amica, humorum fluiditas. hinc nimia *coagulatio*, aut dissolutio aliena prorsus. utramque noscis? noscis & principes morborum causas. in *coagulatione* acido sale densatur sanguis, lento incedit passu, sulphurum crassiorum implexu, tardigradus fertur. In dissolutione, principia sanguinis sui juris facta, turbas movent in liquoribus. inde diversæ variolarum eruptiones. Naturam intertem in expellendis hujuscæ morbi causis intentam vide, suas evocat undique vires, augetur solidorum tritus; donec materies morbifica suos conatus excrit. *Quis viðtor?* nunc morbus; nunc natura. Sanguis heterogeneis fœtus partibus extricatur, impressaque

3

Iabes abundè propellitur foras , viætrix natura , & sponte erumpunt variolæ . ( Interdum tamen non nisi sœvâ mercede morbus solvitur . dum corrupto oculo , articulo-ve distorto ægrum dimittit . ) Nunc sanguis con- catenatus in glandulis sub cute conflatis insigniūs effervescit , pustulas adumbrat non erumpentes , tensior aut laxior solidorum tonus fluidis non imperat , nulla apparent coctionis signa , augentur dira morbi sim- ptomata , opprimitur onere vivificus liquor ; Viator iunc morbus , & malè erumpunt variolæ . Quid hic agat Medicus , quo se vertat tanti Ju- dex certaminis . Qæcunque sint variolatum male erumpentium causæ , Præsidium sit tutissimum venæ sectio .

## I V.

**V**E N Æ sectionem infamari in morbis non novum , maximè in variolis . hanc immeritam aggredi , cum insanâ plebe garrire est . nul- lus affectus cui semel pluries-ve non competat . rationem quæris in morbo solida vel liquida laborant . his fluendi libertatem , illis oscillandi poten- tiam impertitur . indè ipsius necessitas . ( omnia enim in humano corpore ad æquilibrii leges ita putes dirigi , ut fluidorum copia solidorum vi agitandæ respondeat . ) Variolæ male erumpunt . Quid possit illa , interrogas ? hujs ope frangitur humorum impetus , distenta vultu tonum vasa re- mittunt se paulatim , robustior fit arteriarum contractio , ac proindè fa- cilior circuitus . hinc si quid in sanguine spissius dissolvitur , quilibet itionis obices superantur , minoribus in vasis qui languet humor , præterlabenti datur diluendus , promoveturque materiae heterogeneæ separatio . at illa corporis imminuit vires , naturam avertit ab eruptione pustularum . ad po- pulum hæc , plebis est hominem eo judicare valentiores , quo ponderosum imagis . Medici legibus adhærcere mechanicis , rationem consulere , & ex- perientiam . hoc tibi sit venæ sectionis fundamentum in variolis male erumpentibus . febris urget assidua , & non facile domabilis . Undè sim- ptomata ægrotantem premunt gravissima . Confugeris ne ad præsidia Chy- micorum ? In vasculis quidem suis sic norunt sales salibus , liquores li- quoribus committere , ut quem querunt , nullo intererè periculo , ha- beant exitum . in corpore humano non impunè peccatur , nec eadem qua- extrâ contingunt , securè expectaveris . celebretur Phlebotomia , cardiacam hanc , diureticam , sudores promoventem experieris . uno verbo medica- mentorum præstabat illa facultates , non incommoda ; sicque unius ope præsidii , omnem adimplebis paginam .

## V.

**P**RÆSIDIA frequentius usurpata in variolis , cardiaca , hæc ægrotantium suffragio invaluere , illorum imminuere famam , piaculum . sit igitur suus , nec parcus honos cardiacis . Habent illa locum . lentescenti nimium naturæ quid enim stimulus vetat addere . Cedant interim venæ sectioni . Pustularum eruptionem tuto promovere cupis , & symptomatum immi- nuere saevitatem , fibris tonus pristinus , & naturalis reddatur ; spiritibus , sanguini , lymphæ , aliisque humoribus restituatur justa temperies , & motus æquabilitas . hæc conciliare , quid venæ sectione parabilius . imminuit

inquinati sanguinis copiam, vasis ad oscillandum facilitatem parat, maiorem coercet liquidorum impetum, harentes succos à suis deturbat sedibus, amandatque foras. unde tanta secum afferat commoda venæ sectio, seiscitatis? attendas ad æquilibrium. stat illud! viger functionum integritas. pervertitur! ingruit morborum cohors. hinc innumeræ venæ sectionis facultates. in anginâ, phrenitide, peripneumoniâ, quanto cum ægrotantium solatio in usum quotidiè revocatur. ab illâ quid abhorres, in variolis male erumpentibus; acidus humor sanguinem ex parte cogit. naturalem ipsius motum interturbat, spirituum animalium irradiationem cohibet; venæ sectionis ope, agunt solida in acidorum aculeos repetitis ictibus, infringuntur illa, fit liberior sanguinis circuitus, facilior & mechanica separatio. sanguis furit in vasis, salia sulphuraque debito jam non irretiuntur vinculo, ruunt quâ datâ viâ, variolæ malignæ indolis suas ubique exerunt vires; his tuto mederi cupis. Confugias ad phlebotomiam; hâc liquidorum commercia aperies; sanguini, secretionibus, transpirationi impediteæ pristina afferetur libertas. unde ad corporis pomæria facilius humor morbificus propelletur.

*Ergo variolis malè erumpentibus venæ sectio.*

Domini Doctores disputaturi.

M. Antonius Pepin, Scho-

larum Professor,

M. Stephanus Franciscus

Geoffroy, Regiæ scientia-

M. Claudius Guerin.

rum Academiae Pari-

sensis, Regiæque Socie-

tatis Londinensis Socius,

Professor Regius.

M. Petrus Azevedo, rei

Herbaria Professor.

M. Franciscus Aignan-

M. Ludovicus Morin, Re-

gia scientiarum Acadé-

miae Socius.

M. Joannes Herment, Me-

dicus Regis ordinarius.

M. Jacobus Fourneau.

M. Matthæus Thouillier,

Proponebat Parisiis JOANNES HENRICUS IMBERT,  
Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1711.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog.